omnia quae ad inpensas domus pertinebant praeparavit. Ipsius quoque
domus per singulas mensuras et descriptionem dedit ut crescen
te extrinsecus statu cultus etiam devotionis interius culmen
augesceret. Divisionem nihilominus sacerdotalium leviticorumque
graduum in omnia opera domus domini distribuit. Erant enim sanctuarii
principes et principes dei id est summi sacerdotes. Tam de filiis
eleazar quam de filiis ithamar. Quorum vices secundum ministeria
sua ut ingrederentur domum dei viginti quattuor sortibus
distinxit. In quibus abia familiam de qua zacharias ortus est sors
contigit octava. Divisit enim utrasque inter se familias sortibus
unam domum quae caeteris praeerat eleazar et alteram domum
quae sub se habebat caeteras ithamar. Lege verba dierum et
et antiquitatum iosephi librum VII ubi statutum refert
ut utraque generatio iuxta ordinem sortionis ministraret deo per dies
octo a sabbato usque ad sabbatum. Ubi etiam de tribu levitarum
XXIIII partes factas asserit. Ut ipsi quoque eodem modo sortiti
iuxta morem sacerdotum octo diebus ministrarent; Non autem frustra
primus novi testamenti praeco in octavo sortis vice nascitur; Quia
sicut septenario saepe numero propter sabbatum vetus testamentum sic no
vum aliquoties octonario propter sacramentum vel dominicae vel nostrae
resurrectionis exprimitur; Unde quia non aliter quam per
observantiam utriusque testamenti regni caelestis aula penetratur
Recte et in templo salomonis mysticus quindecim graduum
ascensus fuisse narratur. Et is qui ad dominum in tribulatione cla
mans exauditur. Totidem graduum psalmis ad superna perducitur;
Quo tandem in atriis domus dei positus audire possit benedicat
te dominus ex sion. Tempus quoque herodis alienigenae videlicet
regis etiam ipsum dominico attestatur adventui. Praedictum
namque fuerat quia non deficiet princeps ex iuda neque
dux de femoribus eius donec veniat qui mittendus est;

Quid sit inter sacerdotes distantia